

Johann Kleinschmidt

Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Johannes Kleinschmid ... Ad Exequias Quas ... Viro Dn. Henrico Posselio genero, Et ... Dorotheae Kirchner/ filiae dilectissimae uno funere efferendis mater eademq[ue] socrus, paratas cupit, Omnes omnium ordinum Cives Academicos ... invitat

Rostochii: Kilius, 1638

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777418185>

Druck Freier  Zugang



Kleinschmid, J. ,
in
H. Posselius
et de **Kirchner.**

Rostock. 1638.

20.

PROGRAMMA

Quo

Rector Universitatis Rostochiensis

JOHANNES KLEIN-
SCHMID, J. U. D. & P.

*AD EXEQUIAS
QUAS*

Honestissimo Viro

DN. HENRICO
POSSELIO genero,

ET

Leetissima femina

DOROTHEÆ Kirchners/
filix dilectissimæ uno funere effe-
rendis mater eademq; socrus,
paratas cupit,

Omnes omnium ordinum Cives Academicos studiose invitat.

ROSTOCHII,

Literis NICOLAI KILII, Acad. Typograph.

ANNO M DC XXXVIII.



Oratius Flaccus Insignis
est Poeta, & valdè peritus rerum hu-
manarum, quas nec vanitate sua ca-
rere, nec felicitatem desiderare ar-
bitratur.

- - *Macies* (inquit) *Et nova februum*

Terris incubuit cohors,

Semotiq; prius tarda necessitas

Leti corripuit gradum, Paulò post.

Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas

Regumq; turres. Alibi,

Spem longam spatio brevi refecat

Dum loquimur fugerit invida ætas,

Carpe diem quam minimum credula postero.

Cæteras hujus argumenti sententias persequi
longum foret, quas ille passim ad felicitatis ca-
ptandæ occasionem vertit, atq; usurpat. Aliis
aliam felicitatem tribuit, nec amantibus nullam.

Prædicat enim,

- - - *Felices ter Et amplius,*

Quos irrupta tenet copula, nec malis,

Divulsus querimoniis

Suprema citius solvit amor die. Nos jure mul-
to meliori felices prædicamus, non illos temera-
rios, vulgivagos spurcos amores, sed hos castos
conjugales, ne morte quidem ipsa dissolutos, ad

exemplum Honestissimi, Doctissimiq; Viri Dn.
HENRICI POSSELI, & DOROTHEÆ Kirchners/
conjugum, quibus, hæc ipsa felicitas contigit,
ut uno eodemq; tempore, ex uno eodemq; thala-
mo in unum eundemq; tumulum inferrentur,
Sed propius hanc rem intueamur. Natus est hic
noster HENRICUS POSSELIUS Anno 1607. ex
parentibus piis & honestis. Pater enim ei fuit
Vir Clarissimus, & Doctissimus Dn. M. JOHANNES
POSSELIUS Rector Scholæ senatoriæ, & Græcæ
linguæ Professor: Mater foemina honestissima
ANNA Wedigen. AVUS paternus Vir Clarissimus
M. JOHANNES POSSELIUS Parchimensis, qui
Græcas litteras hac in Academia diligenter do-
cuit. Hoc patre & avo natus HENRICUS pieta-
tis doctrinam ex maternis uberibus primum, de-
inde ab institutione parentis hausit: Cui adole-
scentior adjunxit utriusq; linguæ studium, quod
ipsi & fratribus penè fuit hæreditarium. In Aca-
demiis Jenensi, & Witebergensi per aliquot, unã
cum tribus fratribus annos, coluit gnaviter stu-
dium Juris, & laudabiles in eo progressus fecit:
quibus adjunxit ex variis peregrinationibus col-
lectam prudentiam, ita ut Reip: & patriæ utiliter
inservire potuisset, si Deus ei vitam longiorem in-
dulsisset. Reversus ergo in patriam sequi vita ce-
pit Oeconomica, cui ornandæ cum necessariam


esse sciret uxorem piam & modestam, & sedulam; divina benignitate impetravit eam ex voto & animi sui sententia; atq; ita felicitatis illius compos factus est, quæ ex copula piorum conjugum efflorescit. Etsi enim diuturnum illud matrimonium non fuit, neq; enim duravit ultra tres annos, & aliquot menses, tamen fecundum fuit. Ex duabus tamen fæmellis, & uno masculino liberis, masculus & fæmellarum altera adhuc sunt superstites, altera fati concessit. Sed uxorem quoque videamus, quo fato illa vixerit, quoq; mortua sit. Ea **DOROTHEA Kirchners** nata est hac in urbe Anno 1606. ex parentibus honestissimis, & primariis. Pater enim ei fuit Vir honestissimus **CLAUS Kirchner**/civis primarius. Mater foemina pietate & aliis virtutibus matronalibus ornata, adhuc superstes **ANNA Gusebeers**. Avus paternus **MARTIN Kirchner**/mercator hujus civitatis. Avia paterna **ANNA Duncfers**. Avus maternus Vir Amplissimus & Prudentissimus **Dn. HEINRICH Gusebeer**/ Senatorii ordinis vir primarius. Avia materna **ANNA Nettelblades**. foemina lectissima. Hi ergo parentes filiam anno dicto natam, piè, modeste, & castè educarunt, pietatem colere, modestiam sectari, castè vivere, rem domesticam sedulo curare docuerunt: quas virtutes illa sic exercuit,

cuit, ut ad sui honestum amorem facile adduce-
ret illum, cujus antea est facta mentio HENRI-
CUM POSSELIUM, qui ut piè & honestè à matre
vidua eam petiit, ita & impetravit, & hunc amo-
rem continuavit, non solum ad extremum usque
vitæ halitum, sed ultra etiam, si humano more
dicendum est. Cum enim ipse noster Beatus die
secundo Maij intra horam primam & secundam
nocturnam ex hac vita discederet, quasi signo da-
to videtur uxorem invitasse, ut se comitem itine-
ris præberet, ea vero, ut maritum in vita unicè a-
maverat, ita morientem comitari non est verita.
Siquidem postridie imo rectius eo ipso die inter
horam 2. & 3. pomerid. & ipsa, pio placidoq; obi-
tu, tanquam somno occupata discessit. Nonne
hi conjuges jure meritoq; sibi arrogent eam felici-
tatem, qua censentur, quos irrupta copula, con-
jugij scilicet feliciter inchoati, feliciter progressi,
sed compendiose consummati, tenuit, nec *διόμο*
ille *ἀπηνε* ruptus fuit, ac divulsus malis queri-
moniiis, imo ne solutus quidem est, hac suprema
die, sed mortis etiam ipsius falce, quasi nodus,
plusquam Gordius illæsus in ipso tumulto per-
mansit. Nihil est vero quod hic in consolatio-
nem veniamus vel ipsi, vel aliquid afferamus. Ver-
santur pii conjuges in mutuo complexu etiam
mortui

mortui neq; nostro indigent alloquio; relictī li-
beri sunt minores, neq; suæ calamitatis si qua est
calamitas, sensum percipientes; Socrus eademq;
mater defunctorum haud dubiè hoc obitu filix
adflicta, generiq; postulet, quod luctum ei mi-
nuat, imo planè adimat. Verum illa uti est pie-
taticultrix eximia ita facilè hanc nubem dissipa-
bit, omnem dolorem ex obitu filix præcipuè
conceptum delebit cura nepotis, neptisq; quos
quoties intuebitur, & matris & patris, imo avi, a-
viæq; partes uni sibi impositas existimabit, & ma-
rorem ex desiderio filix generiq; conceptum in
solatij gaudiijq; materiam & occasionem conver-
tet. Cæteri propinqui, ad quos nonnulla etiã hu-
jus fortunæ pars pertinet, Socrui matrisq; ita præ-
sto erunt, ut quam minimum hoc jactu, vel casu
potius perdidisse videatur. Ad nos quod atti-
net Cives Academici, justum est, & æquum, ut ex-
pectationi de nobis conceptæ respondeamus,
imo eam superemus. Funus est non unum, quod
curatur; uno tamen labore utrumq; expediri po-
test. Contendit à nobis defuncti pater, defuncti
avus, uterq; de hac Academia & Græcarum litte-
rarum studiosis bene meritis, ut non tam nepoti,
licet ipse quoq; nostro ex ordine fuerit, quam sibi
hanc gratiam gratificemur, Ita vero comparatum
est

est quidem, ut dicitur, *πάλαια χάρις ἔσθαι, ἀμνήμονες δὲ
βροῦτι, dormit vetus gratia, immemores vero morta-
les*: sed tamen arripiamus occasionem, & gratitudi-
nis memoriam nondum omnem in nobis exstin-
ctum ostendamus. Ornemus has exsequias, & u-
nius beneficii redditi promptitudine expunga-
mus vetus nomen, quo viris illis etiamnum ob-
stricti sumus. Contenditā nobis defunctæ ma-
ter, & avus Vir Senatorius, ut nepti filiæq; suæ
hoc officium præstemus, quod vel homo homi-
ni, vel civis civi, multo magis Christiano Christi-
anus debet. Præstemus igitur Cives Academici
quod possumus, imo quod debemus, & majori-
bus gratitudinem declarem, minoribus ac po-
steris gratitudinis & officii præstiti exemplum re-
linquamus. Conventus fiet hora I. in templo
Mariano. P. P. die 6. Maij sub sigillo

Recloratus. Anno 1638,





mortui neq; nostro indigent al-
beri sunt minores, neq; suæ cal-
calamitas, sensum percipientes
mater defunctorum haud dubi
adflcta, generiq; postulet, quo
nuat, imo planè adimat. Veru-
taticultrix eximia ita facilè han-
bit, omnem dolorem ex obitu
conceptum delebit cura nepoti
quoties intuebitur, & matris &
viæq; partes uni sibi impostas ex-
rorem ex desiderio filix generiq;
solatij gaudiq; materiam & occu-
tet, Cæteri propinqui, ad quos ni-
jus fortunæ pars pertinet, locru-
sto erunt, ut quam minimum ho-
potius perdidisse videatur. Ac-
net Cives Academici, justum est,
pectationi de nobis conceptæ
imo eam superemus, Funus est ne-
curatur; uno tamen labore utru-
test, Contendit à nobis defuncti
avus, uterq; de hac Academia &
rarum studiosis bene meritis, ut
licet ipse quoq; nostro ex ordine
hanc gratiam gratificemur, Ita ve-

licti li-
qua est
demq;
tu filix
ei mi-
est pie-
lissipa-
ecipuè
quos
avi, a-
& ma-
tum in
onver-
iã hu-
ta præ-
el casu
d atti-
ut ex-
amus,
quod
ri po-
uncti
litte-
poti,
m sibi
atum
est

